

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**M. VAL. MARTIALIS**

**Martialis, Marcus Valerius**

**AMSTELODAMI, 1628**

Liber VII.

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-711](#)

142 M. V A L. M A R T I A L I S.

Virus ut hoc alio fallax permutteret odore,

Depositum quoties balnea veste petit;

Psilotro viret, aut acida latet obliterata creta:

Aut regitur pingui terque quaterque faba.

Cum bene se tutam per fraudes mille putavit,

Omnia cum fecit, Thaida Thais olet.

*De Calpetano. 92.*

Ponuntur semper chrysendaria Calpetano,

Sive foris seu cum cenat in urbe domi.

Sic etiam in stabulo semper, sic cenat in agro.

Non habet ergo aliud? non habet immo suum.

M. V A L.

# M A R T I A L I S

## Epigrammatum

### LIBER VII.

*De lorica Cæsar's (Domitiani.) 1.*

A Ccipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,  
Ipsa Medusææ quem timet ira comæ.  
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari:  
Pectore cum sacro federit, ægis erit.

*De eadem. 2.*

Invia Sarmaticis Domini lorica sagittis,  
Et Martis Getico tergore fida magis:  
Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis iectus  
Texuit innumeri lubricus unguis apri:  
Felix sorte tua! sacrum cui tangere pectus  
Fas erit, & nostri mente calere Dei.  
I comes, & magnos illæsa merere triumphos,  
Palmaræque ducem, sed cito reddé togæ.

*Ad Pontilianum. 3.*

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?

Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos,

Ad

*Ad Castricum, de Oppiano. 4.*

Esset, Castrice, cum mali coloris,  
Versus scribere coepit Oppiaus.

*Ad Casarem (Domitianum.) 5.*

Si desiderium, Cæsar, populique, patrumque,  
Respicis, & Latiane gaudia vera togæ :  
Redde deum votis poscentibus : invidet hosti  
Roma suo, veniat laurea multa licet.  
Terrarum dominum propius videt ille, tuoque  
Terretur vultu barbarus, & fruatur.

*De reditu Cæsaris (Domitiani.) 6.*

Ecquid Hyperboreis ad nos conversus ab oris  
Ausonias Cæsar jam parat ire vias ?  
Certus abest auctor, sed vox hoc nunciat omnis :  
Credo tibi ; verum dicere, Fama, soles.  
Publica victrices testantur gaudia chartæ :  
Martia laurigera cuspide pila virent.  
Rursus, io, magnos clamat tibi Roma triūphos,  
Invictusque tua, Cæsar, in urbe sonas.  
Sed jam lætitiae quo sit fiducia major,  
Sarmaticæ laurus nuncius ipse veni.

*De eodem. 7.*

Hiberna quamvis Arctos, & rudis Peuce,  
Et ungularum pulsibus calens Ister,  
Fractusque cornu jam ter improbo Rhenus,  
Teneat domanrem regna perfide gentis,  
Te summe mundi rector, & parens orbis :  
Abesse nostris non tamen potes votis.  
Illic & oculis & animis sumus, Cæsar :  
Adeoque mentes omnium tenes unus,  
Ut ipsa magni turba nesciat Circi  
Vtrumne currat Passarinus, an Tigris.

*De eodem. 8.*

Nunc hilares, si quando mihi, nunc ludite Musæ:  
Viator ab Othrycio redditur orbe deus.  
Certa facis populi tu primus vota December :  
Iam licet ingenti dicere voces, Venit.

Felix

Felix sorte tua ! poteras non cedere Iano,  
 Gaudia si nobis , quæ dabit ille, dares.  
 Festa coronatus ludet convicia miles,  
 Inter laurigeros cum comes ibit equos.  
 Fas audire jocos, levioraque carmina, Cæsar,  
 Et tibi : si lusus ipse triumphus amat.

*De Cascelio. 9,*

Cum sexaginta numeret Cascelius annos,  
 Ingeniosus homo est : quando disertus erit ?

*In Olum. 10.*

Pædicatur Eros, fellat Linus : Ole, quid ad te,  
 De cute quid faciant ille vel ille sua ?  
 Centenis futuit Matho millibus : Ole, quid ad te ?  
 Non tu propterea, sed Matho pauper erit.  
 In lucem cenat Sertorius : Ole , quid ad te ?  
 Cum liceat tota stertere nocte tibi.  
 Septingenta Tito debet Lupus : Ole, quid ad te ?  
 Assim ne dederis, crediderisve Lupo.  
 Illud dissimulas ad te quod pertinet , Ole,  
 Quodque magis curæ convenit esse tuæ ;  
 Pro togula debes ; hoc ad te pertinet , Ole.  
 Quadrantem nemo jam tibi credit : & hoc.  
 Vxor moëcha tibi est , hoc ad te pertinet, Ole:  
 Poscit jam dotem filia grandis : & hoc.  
 Dicere quindecies poteram quod pertinet ad te :  
 Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

*Ad (Aulum) Pudentem. 11.*

Cogis me calamo, manuque nostra  
 Emendare meos, Pudens, libellos.  
 O quam me nimium probas, amasque,  
 Qui vis archetypas habere nugas !

*Ad Faustinum. 12.*

Sic me fronte legat Dominus, Faustine, serena,  
 Excipiatque meos qua solet aure jocos :  
 Ut mea nec juste quos odit pagina lædit,  
 Et mihi de nullo fama rubore placet,  
 Quid prodest? cupiant cum quidam nostra vides,  
 Si qua Lycambeo sanguine tela madent :  
 Vipereumque vomant nostro sub nomine virus,  
 Qui Phœbi radios ferre dicimus negant.

Ludimus

EPIGRAMM. LIB. VII. 145

Ludimus innocui: scis hoc bene, juro potentis  
Per genium Famae, Castaliumque gregem,  
Perque tuas aures, magni mihi numina instar,  
Lector inhumana liber ab invidia.

De Lycoride, 13.

Dum Tiburritis albescere solibus audit  
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,  
Venit in Herculeos colles, quid Tiburis alti  
Aura valet! parvo tempore nigra redit.

Ad Aulum, de luctu sua  
puellæ. 14.

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ:  
Annisit lusus, deliciasque suæ:  
Non quales teneri ploravit amica Catulli  
Lesbia, nequitiis passeris orba sui;  
Vel Stellæ cantata meo, quas flevit Ianthis,  
Cujus in Elyso nigra columba volat:  
Lux mea non capitur nugis, neque moribus istis,  
Nec dominæ pectus talia damna movent.  
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,  
Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

Ad Arginum Ianthidos. 15.

Quis puer hic nitidis absit: Ianthidos undis,  
Et fugit ad dominam Najada? ne inquit Hylas?  
O bene, quod ita colitur Tirynthius ista,  
Et quod amatrices tam prope servat aquas!  
Securus licet hos fontes, Argine, ministres:  
Nil facient Nymphæ, ne velit ipse, cave.

Ad Regulum, 16.

Aera domi non sunt: superest hoc, Regule, solum,  
Ut tua vendamus munera: numquid emis?

Ad bibliothecam Iulii Mar-  
tialis. 17.

Ruris bibliotheca delicata,  
Vicinam videt unde lector urbem;  
Inter carmina sanctiora si quis  
Lascivæ fuerit locus Thaliæ,  
Hos nido licet inseras vel imo,  
Septem quos tibi mittimus libellos

## 146 M. VAL. MARTIALIS.

Auctoris calamo sui notatos :  
 Hæc illis pretium facit litura;  
 At tu munere dedicata parvo,  
 Quæ cantaberis orbe nota toto,  
 Pignus pectoris hoc mei tuere,  
 Iuli bibliotheca Martialis.

*In Gallam. 18.*

Cum tibi sit facies, de quâ nec foemina possit.  
 Dicere; cum corpus nulla litura notet:  
 Cur te tam rarus cupiat repetatque fututor,  
 Miraris? vitium est non leve, Galla, tibi.  
 Accessi quories ad opus, mistisque movemur  
 Inguinibus; cunnus non tacet, ipsa taces.  
 Di facerent ut tu loquereris, & ipse taceret:  
 Offendor cunni garrulitate tui.  
 Pele te mallem; namque hoc nec inutile dicit,  
 Symmachus: & risum res movet ista simul.  
 Quis ridere potest fatui poppysmata cunni?  
 Cunn sonat hic, cui non mentula mensq; cadit.  
 Dic aliquid saltē, clamosoque obstrepe cunno;  
 Et si adeo muta es, disce vel inde loqui.

*De fragmento Argus. 19.*

Fragmentum, quod vīle putas & inutile lignum,  
 Haec fuit ignoti prima carina maris.  
 Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ  
 Frangere, nec Scythici tristior ira freti,  
 Sæcula vicerunt, sed quamvis cesserit annis,  
 Sanctior est salva parva tabella rate.

*In Sanctram. 20.*

Nihil est miserius, nec gulosius Sanctræ:  
 Rectam vocatus cum eucurrit ad cænam,  
 Quam tot diebus noctibusque captavit;  
 Ter posuit apri glandulas, quater lumbum,  
 Et utramque coxam leporis, & duos armos:  
 Nec erubescit pejerare de turdo,  
 Et otreorum rapere lividos cirros.  
 \* Buccis placentæ fordidam linit mappam:  
 Illic & uvæ collocantur ollares, Al. Dulci plæ.  
 Et Punicorum pauca grana malorum, <sup>cepia</sup>  
 Et excavatæ pellis indeens vulvæ,  
 Et lippa ficus, debilisque boletus,  
 Sed mappa cum iam mille rumpitur furtis,

Rofes.

EPIGRAMMAT. LIB. VII. 147

Rosos tepenti spondylos suu condit,  
Et devorato capite turturem truncum.  
Colligere longa turpe nec putat dextra,  
Analecta quidquid & canes reliquerunt.  
Nec esculenta sufficit gulæ praeda;  
Miltio lagenam replet ad pedes vino.  
Hæc per ducentas cum domum tulit scalas,  
Seque obserata clusit anvius cella,  
Gulosus ille postero die vendit.

*In natalem Lucani. 21.*

Hæc est illa dies, quæ, magni conscientia partus,  
Lucanum populis, & tibi, Polla, dedit.  
Heu! Nero crudelis, nullaque invisiōr umbra:  
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

*De eodem. 22.*

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu  
Lux redit: Aonidum turbâ favete sacris.  
Hæc meruit, cum te terri s, Lucane, deditset,  
Mixtus Castaliae Bætis ut esset aquæ.

*De eodem. 23.*

Phœbe veni, sed quantus eras cum bella tonanti  
Ipse dares Latiae plectra secunda lyrae.  
Quid tanta pro luce precer? tu, Polla, maritum  
Sæpe colas, & se sentiat ipse coli.

*In maledicūm, Iuvenalem cum Martiale  
committentem. 24.*

Cum Iuvenale meo quæ me committere tentas,  
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?  
Te fūgentē nefas, Pyladen odiisset Orestes:  
Thesea Pirithoi destituisset amor.  
Tu Siculos fratres, & majus nomen Atridas,  
Et Ledæ poteras dissociare genus.  
Hoc tibi pro meritis, & talibus imprecor ausis;  
Vt facias illud, quod, puto, lingua facis.

*In malum Poetam. 25.*

Dulcia cum tantuin scribas epigrammata semper  
Et cerussata candidiora cute;  
Nullaque mica salis, nec amaz/ sellis in illis  
Gutta sit; ô demens! vis ta:non illa legi.

148 M. V A L. M A R T I A L I S  
Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus acetis;  
Nec grata est facies cui gelasinus abest.  
Infanti melimela dato, fatuasque mariscas;  
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia sapit.

*Mittit librum Apollinari, 26.*

Apollinarem conveni meum Scazon,  
Et si vacabit (ne molestus accedas)  
Hoc qualecunque, cujus aliqua pars ipse est,  
Dabis: hoc facetum carmen imbuant aures.  
Si te receptum fronte videris tota,  
Noto rogabis ut favore sustenter.  
Quanto mearum, scis, amore nugarum  
Flagret: nec ipse plus amare te possum.  
Contra malignos esse si cupis tutus,  
Apollinarem conveni meum Scazon.

*De apro sibi a Dextro  
missso, 27.*

Tuscæ glandis aper populator, & ilice multa  
Iam piger, AEtolæ famq secunda feræ,  
Quem meus intravit splendenti cuspide Dexter,  
Præda jacet nostris invidiosa foci.  
Tinguescant nādido terti nidore Penates,  
Flagret & exciso festa culina jugo.  
Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,  
Addet & arcano mixta Falerna gato.  
Ad dominum redeas, noster te non capit ignis,  
Conturbator aper. vilius esurio.

*Ad Fuscum. 28.*

Sic Tiburtinæ crescat tibi Silva Dianæ,  
Et properet cæsum saepe redire nemus.  
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, traperis  
Cedar, & immodi dent bona musta lacus,  
Sic foræ mirentur, sic te pallatia laudent,  
Excolat & oeminas plurima palma fores:  
Oria dum mediis præstat tibi parva December,  
Exige, sed certa, quos legis, aure, jocos.  
Scire liber verum: res est hæc ardua: sed tu  
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

*Ad Testilum, Vocomii puerum. 20.*

Testile Victoris tormentum dulce Voconis,  
 Quo nemo est toto notior orbe puer:  
 Sic eriam positis formosus amere capillis:  
 Et placeat vati nulla puella tuo:  
 Paulisper domini doctos sēpone libellos;  
 Carmina Victori dum lego pauca tuo.  
 Et Moezenati Maro cuim cantaret Alexin,  
 Nota tamen Marfi fusca Melænis erat.

*In Cæliam. 30.*

Das Parthis, das Germanis, das, Cælia, Dacis;  
 Nec Cilicum spernis Cappadocumque toros.  
 Et tibi de Pharia Memphiticus urbe fututor  
 Navigat, à rubris & niger Indus aquis.  
 Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum:  
 Nec te Sarmatico transtulit Alanus equo.  
 Qua ratione facis, cura sis Romana puella.  
 Quod Romana tibi mentula nulla placet?

*Ad Regulum. 31.*

Raucæ cortis aves, & ova matrum,  
 Et flavas medio vapore Chias,  
 Et ferum querulæ rudem capellæ,  
 Nec jam frigoribus pares olivas,  
 Et canum gelidis olus pruinis  
 De nostro tibi rure missa credis?  
 O quam, Regule, diligenter erras?  
 Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.  
 Quidquid villicus Vmber, aut colonus,  
 Aut rus marmore tertio notatum,  
 Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt;  
 Id tota mihi nascitur Suburra.

*Ad Atticum. 32.*

Attice, facundæ renovas qui nomina gentis,  
 Nec finis ingentem conticuisse domum:  
 Te pia Cecropiæ comitatus turba Minervæ,  
 Té secreta quies, te sophos omnis amat.  
 At juvenes alios fracta aure magister,  
 Et rapit immetritas fôrdidus unctor opes.  
 Non pila, non follis, non te paganica thermis  
 Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:

150 M. V A L. M A R T I A L I S

Vara nec injecto ceromate brachia tendis,

Non harpasta vagus pulverulenta rapis:

Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,

Aut ubi Sidonio taurus amore calet.

Per varias arteis, omnis quibus area servit,

Ludere, cum liceat currere, pigritia est.

*In Cinnam. 33.*

Sordidiōr coeno cum sit toga, calceus autem

Candidior prima sit tibi, Cinnam, nive,

Dejecto quid, inepte, pedes perfundis amictū?

Collige, Cinnam, togam; calceus, ecce, perit.

*Ad Severum, de Charino, 34.*

Quo possit fieri modo, Severe,

Vt vir pessimus omnium Charinus

Vnam rem bene fecerit, requiris?

Dicam, sed cito. Quid Nerone pejus,

Quid thermis melius Neronianis?

Non deest protinus, ecce, de malignis,

Qui sic rancidulo loquatur ore:

Vt quid tu Domini Deique nostri

Præfers muneribus Neronianis?

Thermas præfero balneis cinædi.

*Ad Lecaniam, 35.*

Inguina succinctus nigra tibi servus aluta

Stat, quoties calidis tota foveris aquis.

Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus,

Iudæum nulla sub cure pondus habet.

Et nudi tecum juvenesque senesque lavantur.

An sola est servi mentula vera tui?

Ecquid foemineos sequeris, matrona, recessus?

Secretusque tua, cunne, lavaris aqua?

*Ad Stellam. 36.*

Cum pluvias madidumq; Iovem perferre negaret;

Et rudis hibernis villa nataret aquis;

Plurima, quæ posset subitos effundere nimbos,

Muneribus venit tegula missa tuis.

Horridus, ecce, sonat Eoreæ stridore Decembers;

Stella, tegis villam, non tegis agricolam.

*Ad Castricum, de theta. 37.*

Nostri mortiferum quæstoris, Castrice, signum?  
 Et operaे pretium discere theta novum.  
 Exprimeret quoties rotantem frigore nasum,  
 Lethalem juguli juss'erat esse notam.  
 Turpis ab inviso pendebat stiria鼻  
 Cum flaret madida fauce December ærox.  
 Collegæ tenuere manus. quid plura requiris?  
 Emungi misero, Castrice, non licuit.

*Ad Polyphemum Se-veri. 38.*

Tantus es, &c talis nostri Polypheme Severi,  
 Ut te mirari possit & ipse Cyclops.  
 Sed nec Scylla minor, quod si fera monstra du-  
 rum  
 Iunxeris, alterius fieri uterque timor.

*De Cælio. 39.*

Discursus varios, vagumque manæ,  
 Et fastus, & ave potentiorum,  
 Cum perferre patique jam negaret,  
 Coepit fugere Cælius podagrum.  
 Quam dum vult nimis approbare veram,  
 Et sanguis linit obligatque plantas,  
 Incedit que gradu labori oso:  
 (Quantum cura potest, & ars doloris!)  
 Desit fugere Cælius podagrum.

*Epitaphium Etrusci patris. 40.*

Hic jacet ille senex Augusta notus in aula  
 Pectore non humili passus utrumque deum:  
 Natorum pietas sanctis quem conjugis umbbris  
 Miscuit: Elysium possidet ambo nemus.  
 Occidit illa prior viridi fraudata juventa;  
 Hic prope ter senas vixit Olympiadæ.  
 Sed festinatis raptum tibi credidit aënis,  
 Adspexit lachrymas quisquis, Etrusce, tuas.

*Ad Sempronium Tuccam. 41.*

Cosmicos esse tibi, Semproni Tucca, videris.  
 Cosmica Semproni, tam mala, quam bona sunt.

*Ad Castricum. 42.*

Muneribus cupiat si quis contendere tecum;  
 Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.  
 Nos tenues in utroque sumus, vincique parati;  
 Inde sopor nobis, & placet alta quies.  
 Tā mala eur igitur dederim tibi carmina, quēris?  
 Alcinoō nullum poma dedisse putas?

*In Cinnam. 43.*

Primum est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo:  
 Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges,  
 Diligo præstantem: non odi, Cinna, negantem.  
 Sed tu nec præstas, nec cito, Cinna, negas.

*Ad (Q.) Ovidium, de imagine Ma-  
ximi Cæsonii. 44.*

Maximus ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est;  
 Cujuſ adhuc vultum vividam cera tenet.  
 Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem  
 Ausus es, & profugi, non tua fata sequi.  
 Aequora per Scyllæ magnus comes exsulisti;  
 Qui modo nolueras consulis ire comes:  
 Si victura meis mandantur nomina chartis,  
 Et fas est cineri me superesse meo:  
 Audiet hoc præsens, venturaque turba: suisse  
 Hili te, Senecæ quod fuit ille suo.

*Ad eundem. 45.*

Facundi Senecæ potens amicus,  
 Caro proximus aut prior Sereno,  
 Hic est Maximus ille, quem frequenti  
 Felix littera pagina salutat:  
 Hunc tu per Siculas secutus undas,  
 O nullis Ovidi tacende linguis,  
 Sprevisti Domini furentis iras.  
 Miretur Pyladem suum vetustas,  
 Hæfit qui comes exsuli parentis.  
 Quis discrimina comparet duorum?  
 Hæfiti comes exsuli Neronis.

*Ad Priscum. 46.*

Commendare tuum dum vis mihi carmine munus  
 Maxoniisque cupis doctius ore loqui,

Eacru-

Excrucias multis pariter me teque diebus:  
Et tua de nostro, Prince, Thalia placet.  
Divitibus poteris Musas, elegosque sonantes  
Mittere: pauperibus munera pexa dabo.

*Ad Licinium Suram. 47.*

Doctorum Licini celeberrime Sura viorum,  
Cujus prisca graves lingua reduxit avos:  
Redderis(heu) quanto fatorum munere nobis,  
Gustata Laethes pæne remissus aqua!  
Perdiderant jam vota metum, securaque flebant  
Tristia cuim lacrymis: jamque peractus eras.  
Non tulit invidiam taciti regnator Ayerni,  
Et raptas fatis reddidit ipse colos.  
Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas.  
Moverit, &c frueris posteritate tua.  
Vive velut rapto fugitivaque gaudia carpe:  
Perdiderit nullum vita reversa diem.

*De Anno. 48.*

Cum mensas habeat fere trecentas,  
Pro mensa habet Annus ministros:  
Transcurrunt gabatæ, volantque lances.  
Has vobis epulas habete lauri,  
Nos offendimur ambulante coena.

*Ad Severum. 49.*

Parva suburbani munuscula niittimus horti:  
Faucibus ova tuis; poma, Severe, gulæ.

*Ad fontem Ianthidos. 50.*

Ions dominæ, regina loci quo gaudet Ianthos,  
Gloria conspicuæ deliciumque domus:  
Cum tua tot niveis ornetur ripa ministris,  
Et Ganymedeo luceat unda choro:  
Quid facit Alcides Silva sacratus in ista?  
Tam vicina tibi cur tenet antra deus?  
Numquid Nympharum notos observat amores?  
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

*Ad Vrbicum. 51.*

Mercari nostras si te piger, Vrbice, nugas;  
Et lasciva tamen carmina nostra liber.  
Pompejam quæras(& nosti forsitan) Auctum,  
Vktoris prima Martis in æde sedet.

154 M. V A L. M A R T I A L I S  
Iure madens, varioque togæ limatus in usu,  
Non lector meus hic, Vrbice, sed liber est.  
Sic tenet absentis nostros cantatque libellos.

Vt pereat chartis littera nulla meis.  
Denique, si vellet, poterat scripsisse videri:  
Sed famæ mavult ille favere meæ.  
Hunc licet à decima (nec enim satis ante vacabit)  
Sollicites, capiet cornula parva duos.  
Ille leget, bibe tu, nolis licet, ille sonabit:  
Et cum, jam satis est; dixeris, ille leget.

*Ad (Pompej m) Autum, 52.*  
Gratum est, quod Celeri nostros legis, Autæ, libel-  
los,  
Si tamen & Celerem quod legis Autæ, juvat,  
Ille meas gentes, & Celtas rexit Iberos,  
Nec fuit in nostro certior orbis fides.  
Major me tantò reverentia turbat: & aures,  
Non auditoris, judicis esse puto.

*In Umbrum, 53.*  
Omnia misisti mihi Saturnalibus, Umbra,  
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies:  
Bis-senos triplices, & dentiscalpia septem:  
His coines accessit spoglia, mappa, calix;  
Semodiisque fabæ cum viuine Picenarum,  
Et lalefæ nigra lagena sapæ:  
Parvaquæ cum canis venerunt coctana prabis,  
Et Libycæ sici pondere testa gravis.  
Vix puto triginta numinorum tota fuisse.  
Munera, quæ grandes octo tulere Syii  
Quanto commodius nullo mihi ferre labore  
Argenti potuit pondera quinque puer?

*In Nasidienum, 54.*  
Semper manæ mihi de me mera somnia narras,  
Quæ moveant animum sollicitentque meum.  
Iam prior ad fecem, sed & hæc vindemia venit;  
Exorat noctes dum mihi saga tuas:  
Consumpsi falsasque molas, & thuris acervos,  
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.  
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt,  
Aut vigila aut dormi, Nasidiene, tibi.

In

*In Chrestum, 55.*

Nulli munera, Chreste, si remittis,  
Nec nobis dederis, remiserisque;  
Credam te satis esse liberalem.  
Sed si reddit Apicio, Lupoque,  
Et Gallo, Titioque, Cælioque,  
Linges non mihi (nam proba, & pusilla est:)  
Sed quæ de Solymis venit perustis  
Damnatam modo mentulam tributi.

*Ad Rabitum, 56.*

Astra polumque pia percepsi mente, Rabiri,  
Parrhasiam mira qui struis arte domum.  
Phidaco si digna Iovi dare templa parabit,  
Has petat à nostro Pisa Tonante manus.

*De Achilla, 57.*

Castora de Polluce Gabinia fecit Achillam:  
Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus.

*Ad Gallam, 58.*

Iam sex aut septem rupisti, Galla, cinædis:  
Dum coena te nimium, pexaque barba juvat.  
Deinde experta latus, madidoque simillima lora  
Inguina, nec lassâ stare coacta manu;  
Deseris imbelles thalamos, mollemque maritum:  
Rursus & in similes decidis usque toros. (tein,  
Quære aliquem Curios semper Fabiosque loquen-  
Hirsutum, & dura rusticitate trucem;  
Invenies, sed habet tristis quoque turba cinaedos,  
Difficile est vero nubere, Galla, viro.

*Ad Titum, de Cecilio, 59.*

Non coenat sine apôlo noster, Tite, Cæcilianus,  
Bellum convivam Cæcilianus habet.

*Ad Iovem Capitolinum, 60.*

Tarpæjæ venerande rector aulæ,  
Quem salvo Duce credimus Tonantem;  
Cum votis sibi quisque te fatiget,  
Et pôscat dare, quæ Dei potestis:  
Nil pro me mihi, Iupiter, petenti,  
Ne succensueris velut superbo.

256 M. V A L. M A R T I A L I S  
Te pro Cæsare debo rogare,  
Pro me debo Cæsarem rogare.

*Ad Germanicum Cæsarem. 61.*  
Abstulerat totam temerarius, institor urbem,  
Inque sup' nullum limine limen erat.  
Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos:  
Et modo quæ fuerat semita, facta via est.  
Nulla catenatis pila est præcincta lagenis:  
Nec prætor medio cogitur ire luto.  
Stringitur in densa nec cæca novacula turba:  
Occupat aut totas nigra popina vias.  
Tonsor, capo, coquus, lanius sua limina servant.  
Nunc Roma est; nuper magna taberna fuit,

*In Amillum. 62.*  
Reclusis foribus grandes percidis Amilles.  
Et te deprendi, cum facis ista, cupis,  
Ne quid liberti narrent, servique paterni,  
Et niger obliqua garrulitate cliens.  
Non pædicari qui se testatur, Amille,  
Illud sæpe facit, quod sine teste facit.

*De Silio (Italico) 63.*  
Perpetui nunquam moritura volumina SH  
Qui legis, & Latia carmina digna toga;  
Pierios tantum vati placuisse recessus  
Credis, & Aoniæ Bacchica ferta comæ?  
Sacra eothurnati non attigit ante Maronis,  
Implevit magni quam Ciceronis opus.  
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorū;  
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.  
Postquam bis-senis ingentem fascibus annum  
Rixerat, aserto qui sacer orbe fuit;  
Emeritos. Musis, & Phœbo tradidit annos,  
Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

*In Cinnamum. 64.*  
Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,  
Est post hoc dominæ munere factus eques,  
Sicanias urbes. A Etnæaque regna peristi.  
Cinname, cum fugeres tristia jura fori.  
Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annos?  
Quid facit infelix & fugitiva quies?  
Non rhetor, non grammaticus, Iudiye magister,  
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes.

Vendere

EPIGRAMM. LIB. VII. 157

Vendere nec vocem Siculis plausu inque theatris.  
Quod supereit, iterum, Cinnamone, tonsor eris.

*In Gargilianum, 65.*

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ  
Conterit una tribus, Gargiliane foris.  
Ah miser, & demens, viginti litigat annis  
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

*De Labieno, 66.*

Hæredem Fabius Labienum ex asse reliquit:  
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

*In Philenim, 67.*

Pædicat pueros tribas Philenis,  
Et tentigine sæviōr mariti  
Vndenas vorat in die puellas.  
Harpasto quoque subligata ludit,  
Et flavelscit hape, graveisque draucis,  
Halteras facili rotat lacerto;  
Et putri luteulenta de palæstra  
Vncti verbere vapulat magistri.  
Nec coenat prius, aut recumbit ante  
Quam septem vomuit meros deunces:  
Ad quos fas sibi tunc putat redire,  
Cum coliphia sexdecim comedit.  
Post hæc omnia; cuin libidinatur,  
Non fellat; putat hoc parum virile;  
Sed plane medias vorat puellas.  
Dī mentem tibi dent tuam, Phileni,  
Cunnū lingere quæ putas virile.

*Ad Instantium Rufum. 68.*

Commendare meas, Instanti Rufe, Camoenas  
Parce precor socero, seria forsan amar.  
Quod si lascivos admittit & ille libellos,  
Hæc ego vel Curio Fabricioque legam.

*De Canii Theophila, 69.*

Hæc est illa tibi promissa Theophila, Cani,  
Cujus Cecropia pectora dote madent.  
Hanc sibi jure petat magni senis Atticus hortus,  
Nec minus esse suam Stoica turba velit.

Vives

158 M. VAL. MARTIALIS

Vivet opus quodcunque per has emiseris aures,

Tam non scemineum nec populare sapit;

Non tua Pantænis nimium se præferat illi,

Quamvis Pierio sit bene nota choro.

Carmina fingen tem Sappho laudabit amatrix,

Castior hæc, & non doctior illa fuit.

*In Philænium. 70.*

Ipsarum tribadum tribas, Philæni,

Recte, quam futuis, vocas amicam.

*De familia ficoſa. 71.*

Ficosa est uxor, ficosus & ipse maritus;

Filia ficoſa est, & gener, atque nepos.

Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,

Nec rigidus foſſor, sed nec arator eget.

Cum fint ficosi pariter juvenesque senesque,

Res mira est, ficos non habet unus ager.

*Ad Paullum suorum carminum*

*assertorem. 72.*

Gratus sic tibi, Paule, sit December;

Nec vani triplices, brevesque mappæ,

Nec thuris veniant leves felibræ;

Sed lances ferat, aut scyphos avorum,

Aut grandis reus, aut potens amicus:

Seu quod te potius juvat, capitque.

Sic vincas Noviūmque Publīūmque

Mandris & virreo latrone clusos:

Sic palmam tibi de trigono nudo,

Vnctæ det favor arbiter coronæ,

Nec laudet Polybi magis sinistras.

Si quisquam mea dixerit malignus

Atro carmina quæ madent veneno.

Vt vocem mihi commodes patronam,

Et, quantum poteris, sed usque, clamens:

Non scripsit meus ista Martialis.

*Ad Maximum. 73.*

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ;

Et tua Patricius culmina Vicus habet:

Hinc yduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ;

Inde Novum, Veterem prospicis inde Iovem.

Dic, ubi conveniam: dic, qua te parte requiram?

Quisquis ubiq; habitat, Maxime, nusquā habitat.

*Pro Caro & Norbana ipso nuptiarum die votum. 74.*

Cyllenes coelique decus facunde minister,  
 Aurea cui torto virga draconem viret:  
 Sic tibi lascivi non deht copia furti,  
 Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales:  
 Maternaeque sacris ornentur frondibus Idus,  
 Et senior parca mole prematur avus:  
 Hunc semper Norbana diem cum conjugē Caro  
 Læta colat, primis quo coiēre toris.  
 Hic prius antistes Sophiæ sua dona ministrat:  
 Hic te thure vocat, fidus & ipse Iovi.

*In anum deformem. 75.*

Vis futui gratis, cum sis deformis, anusque,  
 Res perridicula est; vis dare, nec dare vis.

*Ad Philomusum. 76.*

Quod te diripiunt potentiores  
 Per convivia, porticus, theatra,  
 Et tecum, quoties ita incidisti,  
 Gestaxi juvat, & juvat lavari.  
 Nolito nimium tibi placere.  
 Delectas, Philoniuse: non amaris.

*In Tuccam. 77.*

Exigis ut nostros donem tibi, Tucca, libellos;  
 Non faciam; nam vis vendere, non legere.

*In Papilum. 78.*

Cum Saxetani ponatur cauda lacerti;  
 Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est;  
 Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos,  
 Mittis, habes nec cor, Papile, nec genium.

*Ad Severum. 79.*

Potavi modo consolare vinum:  
 Quæris quam vetus atque liberale?  
 Ipso consule conditum: sed ipse  
 Qui ponebat erat, Seyere, consul.

*Ad*

*Ad Faustinum, ut libellos suos Marcellino mittat.* 80.

Quatenus Othrysius jam pax Romana. Triunes  
Temperat, & tetricæ conticuere rubæ,  
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum  
Mittere, jam chartis, jam vacat ille jocis.  
Sed si parva tui munuscula queris amici  
Commendare, ferat carmina nostra puer,  
Non qualis Geticæ satiatuſ laetæ juvence  
Sarmatica rigido ludit in amne rota:  
Sed Myrilenæi roseus mangonis ephebus,  
Vel non cæſus adhuc matre jubente Lacon.  
At tibi captivo famulus mitteatur ab Istro,  
Qui Tiburtinas pascere possit oves.

*Ad Lausum.* 81.

Triginta toto mala sunt epigrammata libro;  
Si totidem bona sunt, Laufe liber bonus est.

*De Menophilo, ad Flac-*  
*cum.* 82.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,  
Ut sit comedis omnibus una satis.  
Hunc ego credideram (nam saepe lavamur in unu)  
Sollicitum voci parcere, Flacce, suæ:  
Dum ludit media populo spectante palæstra,  
Delapsa est misero fibula; verpus erat.

*De Eutrapelo,* 83.

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,  
Expingitque genas, altera barba subit.

*Librum suum Cæcilio Secundo*  
*mittit.* 84.

Dum mea Cæcilio formatur imago Secundo,  
Spirat & arguta picta tabella manu;  
I liber ad Geticam Peucen, Istrumque tacentem:  
Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.  
Parva dabis caro, sed dulcia, dona sodali:  
Certior in nostro carmine vultus erit.  
Casibus hic nullis, nullis delebilis annis  
Vivet, Apelleum cum maiorietur opus,

Ad

*Ad Sabellum. 85.*

Quod non insulte scribis tetrasticha quædam ;  
 Disticha quod belle pauca, Sabelle, facis :  
 Laudo, nec admiror, facile est epigramma, Sabelle,  
 Scribere : sed librum scribere difficile est.

*In Sextum. 86.*

Ad natalicias dapes vocabar,  
 Essem cum tibi, Sexte, non amicus.  
 Quid factum est, rogo, quid repente factum est ?  
 Post tot pignora nostra, post tot annos,  
 Quod sum præteritus vetus fôdalis ?  
 Sed caussam scio ; nulla venit à me  
 Hispani tibi libra pustulati :  
 Nec tenuis toga, nec rudes lacernæ :  
 Non est sportula quæ negotiatur :  
 Poscis munera, Sexte, non amicos.  
 Iam dices mihi : vapulet vocator.

*De variis amoribus & deliciis. 87.*

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus :  
 Si fruitur tristi Canius AEthiope ;  
 Publius exiguae si flagrat amore catellæ ;  
 Si Cronius similem cercopithecon amat ;  
 Deleat Marium si perniciousus ichneumon ;  
 Pica salutatrix si tibi, Lause, placet :  
 Si gelidum collo neftit Gratilla draconem ;  
 Lusciniæ tumulum si Thelesina dedit ;  
 Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycae,  
 Qui videt hęc domiuis monitra placere suis ?

*Ad Lansum. 88.*

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos.  
 Inter delicias pulchra Vienna suas.  
 Mé legit oninis ibi senior, juvenisque, puerque,  
 Et coram tetrico casta puel la viro.  
 Hoc ego nialuerim, quam si mea carmina cantem.  
 Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt :  
 Nam meus Hispano si me Tagus impleat auro,  
 Pascat & Hybla meas, pascat Hymettos apes.  
 Nennihil ergo sumus, nec blandæ munere linguae  
 Decipimus, credam jam puto, Lause, tibi.

*Apollinari mittit coronans  
roseam. 89.*

I felix rosa , molibusque fertis  
Nostris cinge comas Apollinaris,  
Quas tu nectere candidas sed olim ,  
Sic te semper amet Venus, memento.

*Ad Creticum. 90.*

Iactat inæqualem Matho me fecisse libellum :  
Si verum est, laudat carmina nostra Matho.  
AEquales scribit libros Calvinus, & Vmber.  
AEqualis liber est, Cretice, qui malus est.

*Ad Iuvenalem. 91.*

De nostro facunde tibi, Iuvenalis, agello  
Saturnalicias mittimus, ecce, nuces.  
Cætera lascivis donavit poma puellis  
Mentula Custodis luxuriosa Dei.

*In Baccaram. 92.*

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum ,  
Bis nobis dicis, Baccara, terque die.  
Appellat rigida tristis me voce Secundus :  
    Audis ; sed nescis, Baccara, quid sit opus.  
Tensio te coram petitur clareque, palamque :  
    Audis ; sed nescis, Baccara, quid sit opus.  
Esse queror gelidasque mihi tritasque lacernas :  
    Audis ; sed nescis, Baccara, quid sit opus.  
Hoc opus est, subito fias ut fidere mutus ;  
    Dicere ne possis, Baccara, quid sit opus.

*Ad Narniam, de Quinto. 93.*

Narnia, fulsureo quam gurgite candidus amnis  
Cirçuit, ancipiti vix adeunda jugo,  
Quid tam saepe meum nobis abducere Quintum  
    Te juvat, & lenta detinuisse mora ?  
Quid Nomentani caussam mihi perdis agelli,  
    Propter vicinum qui pretiosus erat ?  
Sed jam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quinto  
    Perpetuo liceat sic tibi ponte frui,

*De Papilo. 94.*

Vuguentum fuerat , quod onyx modo parva gerebat ;

Olfecit postquam Papilus, ecce, garum est,

*In Linum. 95.*

Bruma est , & riget horridus December ;

Audes tu tamen osculo nivali

Omnes obvius hinc & hinc tenere,

Et totam, Line, basiare Roman.

Quill possis graviusque steviusque

Percussus facere atque verberatus ?

Hoc me frigore basiet nec uxor,

Blandis filia nec rudit labellis.

Sed tu dulcior, elegantiorque ;

Cujus livida naribus caninis

Dependet glacies , rigetque barba,

Qualem forficibus metit supinis

Totisq Cinyphio Cilix marito.

Centum occurrere malo cunnilingis :

Et Gallum timeo minus recentem,

Quare si tibi sensus est, pudorque :

Hibernas, Line, basiations

In mensem, rogo, differas Aprilem.

*Epitaphium Vrbici pueri. 96.*

Conditus hic ego sum Bassi dolor Vrbicus infans:

Cui genus & nomen maxima Roma dedit.

Sex mihi de prima deerant trieteride menses,

Ruperunt terricæ cum mala pensa deæ.

Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?

Da lachrymas tumulo, qui legis ista, meo.

Sic ad Lethæas, nisi Nestore senior, undas

Non eat, optabis quem superesse tibi.

*Mittit librum, Cæsio Sabino. 97.*

Nosti si bene Cæsium , libelle,

Montanæ decus Umbriæ Sabinum,

Auli municipem mei Pudentis ;

Illi tu dabis hec vel occupato :

Instent mille licet premantque curæ,

Nostris carminibus tamen vacabit.

Nam me diligit ille , proximumque

Turni nobilibus leget libellis.

O quantum tibi nominis paratur !

164 M. V. M A R T. E P I G. L. VII.  
O quæ gloria ! quam frequens amatot !  
Te convivia , te forum sonabit,  
Aedes , compita , porticus , tabernæ.  
Vni mitteris , omnibus legeris.

*Ad Castorem. 98.*

Omania, Castor, emis , sic fiet, ut omnia vendas.

*Ad Crispinum. 99.*

Sic placidum videoas semper, Crispine, Tonantem;  
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet;  
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula ;  
( Namque solent sacra Cæsaris aure frui : )  
Dicere de nobis, ut lector candidus,, aude :  
Temporibus præstat nonnihil ille tuis.  
Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.  
Hoc satis est ; ipsi cætera mando Deo.

M. VAL.